

XVII. Si tamen agatur de praescriptione Juris Patronatus, praesertim laicalis contra Ecclesiam liberam, non sufficit tempus 40. annorum; sed exigitur tanti temporis quasi possessio, cujus contraria memoria non existat, juxta Cap. 1. De Praescriptione in 6. eod. quod praesumptio sit contra praescribentem; ipsumque jus commune ei contrarietur.

XVIII. Consonat Synodus Tridentina Sess. 25. cap. 9. De Reformat. decernens, ut "titulus Juris Patronatus sit ex fundatione, vel donatione, qui ex authentico documento, aut aliis jure requisitis ostendatur; si vero etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliisve secundum juris dispositionem.

XIX. Synodus numerum praesentationum non exprimit; sed simpliciter vult ex multiplicatis praesentationibus per cursum temporis, qui hominum memoriam excedat, factis, titulum Juris Patronatus probari: unde nec inter Doctores de numero convenit: asseritque Franciscus Le Roy in citatis Prologomenis cap. 16. in Foro sibi per manus traditum esse, ad praescribendum Juris Patronatus proprietatem contra verum patronum, vel etiam titulo munitum tres praesentationes requiri & sufficere. Et hoc (ait forte probant ex Cap. 3. De Causa possess. & propriet. ubi summus Pontifex docet, jus eligendi per tres electiones non aliter acquiri, quam si completa sit legitima praescriptio.

XX. Ulterius Synodus Tridentina eodem cap. 9. vult, ut in iis personis, seu communitatibus, vel Universitatibus, in quibus ad iis plerumque ex usurpatione potius quasi tum praesumi solet, plenior, & exactior probatio ad obtinendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria, praesentationes, etiam continuatae non minor saltem, quam quinquaginta annorum spatium, quae omnes effectum sortitae sunt, autenticis scripturis probentur.

XXI. Deinde ulterius addit: "Reliqui Patronatus omnes in beneficiis, tam saecularibus, quam regularibus, seu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis beneficiis, in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, seu facultates, & privilegia concessa tam in vim Patronatus, quam alio quocumque jure nominandi, eligendi, praesentandi ad ea, cum vacant (exceptis patronatibus; super Cathedralibus Ecclesiis, competentibus, & exceptis aliis, quae ad Imperatorem & Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes, jura Imperii in dominiis suis habentes, pertinent, & quae in favorem studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata, & irrita, cum quasi possessione inde secuta, intelligantur, Beneficiaque hujusmodi, tamquam libera, a suis collatoribus conferantur; ac provisiones hujusmodi plenum effectum consequantur.

XXII. Ex his finalibus verbis deducit Fagnanus ad Cap. CONSULTATIONIBUS De Jure Patronatus num. 9. ad validitatem praesentationis vel institutionis non sufficere, ut praesentans communiter reputetur patronus, & sit in quasi possessione juris praesentandi, nisi doceat de titulo & proprietate Juris Patronatus ad praescriptum Concilii.

XXIII. Et dein num. 7. refert, declarasse S. Congregationem, Decretum Concilii Tridentini habere locum etiam in petitorio & possessorio: "ideoque admittendam non esse praesentationem, nec praesentati institutionem faciendam esse, nisi PROBATO prius jure patronatus ad praescriptum nem ejusdem Concilii. Imo etiam si post Concilium Ordinarium admisisset praesentationem simpliciter, & absque causa cognitione, posse praesentum Patronum a sua

, quasi possessione repelli, nisi patronatum legitime probaverit juxta formam dicti Concilii. "Quia & addit num. 11. resolyisse S. Congregationem, admittendum non esse ad praesentandum, tamen si probaverit, se per quadraginta annos praesentasse & in possessione, vel quasi possessione fuisse.

XXIV. Deinde monet tandem num. 16. si constet quidem de Jure patronatus, sed quaestio sit inter duos, cui competat; eo casu non requiri formam probationis per Concilium Tridentinum praescriptam; atque inter praesentatos praefendum esse praesentatum ab illo, qui tempore praesentationis erat in quasi possessione praesentandi sive Juris patronatus.

Ipsium notat Zypaeus in Jure Novo tit. De Jure Patronatus num. 6. Rationem addens: "Quippe cum hic cesset ratio Decreti, ne scilicet Ecclesiae liberae in servitute & clientelam, praesertim saecularium, redigantur.

XXV. Similiter Zypaeus reflectens ad citata Decreta Concilii, asserere non dubitat, quod cujusdam Baronis Jus Patronatus magis ex proventus jam ante Ecclesiasticis, & privilegio, quam ex fundatione ortum, multum periclitaretur, nisi (ait) hic Concilium Trident. sine mutatione Juris Patronatus esset receptum. Consult. 4. De praebendis num. 2.

XXVI. Indubie per finalia haec verba indicare voluit Zypaeus limitationem, quae in promulgatione Concilii Tridentini in Belgio addita fuit; & cujus ipse meminit in Jure Novo tit. De Constit. num. 6. ubi refert, quod in literis Gubernatricis Belgii, quibus nomine Regis publicatio Concilii mandabatur, expressè dictum fuerit, mentem Regis esse, nihil mutari circa Regalia jura, privilegia, seu Majestatis, aut fuorum vasallorum, Statuum aut subjectorum, & speciatim circa Jus Patronatus, Indultum, seu Jus Nominatum.

XXVII. Quae clausula quoad conservationem Juris patronatus consonat iis quae Concilia regis, a Gubernatrice super executione Decretorum reformationis Concilii Tridentini consulta, notaverant.

Nam ad Cap. 12. & 13. Sess. 24. haec nota erat: "Quae ad coarctandum Jus Patronatus sancita sunt, consentiunt omnes, ad Patronos laicos extendi non debere.

Ad Cap. 9. Sess. 25. haec: "Versiculo, Reliqui Patronatus, abrogatur Jus patronatus omne, quod ex fundatione vel donatione, quae authentico documento ostendatur, natum non est, & praescriptio immemorialis (nisi 90. annorum continuatae praesentationes authenticis scriptis probentur) rejicitur, paucis quibusdam Patronatibus exceptis. Id existimant pleraque Concilia admitti non debere in Patronatibus laicis ne jus cuiquam quaesitum auferatur, & subditi in antiqua quam habent possessione, turbentur. Nimium etiam coarctari probationes, ita restrictas, ut Synodus decrevit, praesertim quoad eos, qui circa limites Provinciarum incolunt, & hostilibus excursionsibus expositi, documentis antiquis forte spoliati sunt. Probationis modum proinde arbitrio judicantium, relictum relinqui.

Ita refert Antonius Anselmo Jurisconsultus Antverpiensis in suo Trithemiano Belgico cap. 33. §. 52.

XXVIII. Conformiter ad has notas, & clausulam literis Gubernatricis appositam, praxis Belgii habet, ut probatio Juris Patronatus, praesertim laicalis, fiat & admittatur eadem forma qua aliorum jurium probatio; atque possessorem adjugetur possidenti, sive ei, qui in quasi possessione praesentandi esse probatur.

XXIX. Consequenter praesentatus a possessore praesertur ei, qui est praesentatus a proprietario, juxta Cap. CONSULTATIONIBUS De Jure Patronatus, & Cap. EX LITTERIS eod. quae hic, non obstante Decreto Concilii Tridentini, suum vigorem retinuerunt. Ipsa deinde possessio memoriam hominis excedens etiam hic pro titulo habe-

habetur: neque ad fundationis aut dotationis speciem titulum probandum ulterius urgentur, qui hujusmodi possessionem probant.

XXX. Advertens quoque Franciscus Florens, quod Trid. Patres cum tempore memoriam hominum excedente vellent adhuc justum & authenticum titulum, qui exhiberetur, ait: "Ultimum illud non sat probatur in Gallia, ubi vetustas illa pro titulo, & vicem legis tenet.

Quare & hodie verum est in Belgio & in Gallia, nullam fieri differentiam, saltem quoad jus praesentandi, inter Jus Patronatus laicis competens titulo fundationis, & competens titulo praescriptionis, ut jam pridem notavit Rebuffus in Praxi Benef. in tertia parte Signatura num. 71.

XXXI. Praeter fundationem & dotationem, nec non praescriptionem, est alius titulus seu modus, quo primum ad laicos, & dein ad Monasteria & Capitula jus patronatus satis frequenter transitiv.

Circa saeculum 8. & 9. contigit, ut Principes non tantum bona Ecclesiastica usurparent, sed ipsa etiam Monasteria, quin & Parochiales Ecclesias; easque suis militibus darent in feudum, vel alodem: eoque titulo omnes earum obventiones haberent, uti pluribus ostendit Filescus in Querela Ecclesiae Gallicanae; & aliqua diximus supra parte 1. tit. 31. cap. 7. & plura dicentur infra De Congrua Parochorum portione: ubi de primitivis Pastoribus agitur, qui occasione portione congrua dederunt.

Hi Laici primum quidem in his Ecclesiis, quas tamquam proprias possidebant, earum se dominos appellantes, Presbyteros assignatis modicis emolumentis propria auctoritate, & inconsulto Episcopo instituebant, & desinebant. At cum id tamquam Ecclesiis admodum praedjudicium in Synodis vetitum fuit, cautumque, ut nullus absque consensu Episcopi cuiuslibet Presbytero det vel auferat Ecclesiam, CAN. NEMINEM 16. q. 7. ex Concilio Cabiloniensi, ceperunt Presbyteros iis Ecclesiis praeficiendos Episcopis praesentare; & ita Jus Patronatus habere in Ecclesiis, quas in beneficium sive alodem acceperant; ut latius deducit Franciscus Le Roy in citatis Prologomenis cap. 17.

XXXII. Adhaec, cum plures laici Ecclesias, quas in feudum acceperant, in Monasteria & Capitula transferunt, uti infra titulo De Congrua Portione ostendetur, etiam ipsi Monachi & Canonici Presbyteros iis Ecclesiis praeficiendos praesentare ceperunt; atque hinc jus praesentandi seu Jus Patronatus Monasteriorum & Capitulorum pro majori parte originem sumpsit: quod licet origine laicale fuerit, postquam tamen in Monasteria & Capitula transiit, pro Ecclesiastico reputatur, uti capite praecedenti ostendimus.

XXXIII. Sicuti praescriptione, ita & ex privilegio summi Pontificis acquiri posse Jus patronatus, de jure indubitatum est; & notat Pisonius in Tractatu De Beneficiis titulo De Oneribus & Immunitatibus Ecclesiarum §. 6. num. 8. una tamen addens: "Licet illud apud nos non usquequaque servetur, tamquam Ordinariorum libertate dispositioni, & collationi contrarium, cui nulli obices adjici possunt, nisi in ipso fundationis actu & instrumento, dati sint.

CAPUT IV.

Quomodo Jus Patronatus transferatur?

1. Jus Patronatus transit cum dignitate.
2. Hoc jus separatim quomodo transire possit?
3. Jus Patronatus laicum reale transit cum re, cui adhaeret.
4. Transit, licet nominatim expressum non fuerit.
5. In hac alienatione non requiritur licentia Episcopi.

6. Translato utili dominio transit quoque jus patronatus.
7. Transit in conductorem ad firmam.
8. Elocatio ad firmam naturam sapit contractus casualis.
9. Qua de causa Monasteria pradia darent ad firmam?
10. Condiciones hujus contractus.
11. An transeat in maritum ratione dotis?
12. An in viduam ratione dotari?
13. Utrum competat usufructuario?
14. Praesentatio facta a bona fidei possessore est valida; nec invalidatur re evicta.
15. Non transit in creditorem ratione pignoris.
16. Jus patronatus praesertim laicale consideratur hodie ut temporale; & de eo solus iudex laicus cognoscit.
17. Jus hoc est transmissibile ad heredes.
18. Transit ad heredes ab intestato; si nihil in contrario sit statutum.
19. Transit ad singulos heredes in solidum.
20. Heredes unius Patroni tantum habent unum suffragium.
21. Succeditur in stirpes.
22. Potest jus praesentandi dividi per turnum.
23. Per turnum praesentant interdum divisum; & tunc non est mixtum.
24. Interdum jus patronatus est mixtum, dum nominatio fit per turnum.
25. Potest in fundatione caveri, ut non deferatur juro hereditario; & quid tunc juris?
26. Unde invaluerit abusus vendendi Jus Patronatus.
27. Abusus per Pontifices reprobatus.
28. Habita venditio hujusmodi ut Simoniaca.
29. Ostenditur Jus Patronatus esse spirituali annexum.
30. Venditio Juris Patronatus hodie habetur irrita & Simoniaca.
31. An recte dicatur vendi cum ipso fundo.
32. Pretium feudi augendum non est intuitu Juris patronatus annexi.
33. Unde proveniat, laicos Jus Patronatus tanti facere.

I. Jus patronatus Ecclesiasticum competens ratione officii, dignitatis, aut Beneficii Ecclesiastici transfertur cum officio, Dignitate aut Beneficio ad quemcumque tituli illius possessorem, admittit omnium aliorum jurium hujusmodi titulo annexorum, indubitatum est.

II. At separatim ab ipso Officio, Dignitate aut Beneficio, in alterum transferri non posse citra solemnitatem in alienatione rerum & jurium Ecclesiae requisitam, probant Zypaeus Responsio 4. De Jure patronatus, & Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum De Jure patronatus cap. 18. ubi monet, in permutatione Juris patronatus Ecclesiastici requiri consensum Episcopi: "tunc enim (ait) alienatur res ad ipsam Ecclesiam pertinentens, ideoque non nisi servatis solemnitatibus alienari potest.

III. Si Jus patronatus laicum fuerit reale, id est, fundo aut castro vel Toparchiae, alterive juri aut rei annexum, transit instar alterius juris realis in ipsum possessorem & Dominum rei, quemadmodum notant omnes Interpretes ad Cap. 13. De Jure patronatus, ubi Hospitalarii empto feudo, jus patronatus acquirere dicuntur, quod huic feudo adhaeret.

IV. Imò cum hic agatur de jure inhaerente ipsi rei, ut jus hoc translato censetur, necesse non est, ut in ipsius rei translatione, Jus patronatus mentio facta sit, quemadmodum loco citato rectè observat Franciscus Le Roy: semper enim

enim (ait) alienatio facta præsumitur cum sua causa; exemplo aliorum jurium realium, servitutis, hypothecæ & similibus, quæ semper rem ipsam sequuntur, tamen in ipsa alienatione nominatim non sint expressa.

V. Ulterius quia hic agitur principaliter de alienatione rei merè profanæ & Laicalis; de alienatione verò Juris patronatus dumtaxat *accessorie*, sive in consequentiam, nullam requirit in hac alienatione Episcopi licentiam, aliãve solemnitate in alienandis rebus Ecclesiæ observandam, tradunt passim Canonistæ; quibus & praxis consonat.

VI. Ampliatur hæc conclusio ex communi Canonistarum doctrina, ut locum habeat, etiam si villa aut fundus, cui jus patronatus inhæret, solummodo quoad *utile* dominium transferitur nimirum, ut saltem jus præsentationis sit apud Dominum *utilem*; tamen si forsitan ipsum jus patronatus maneat apud Dominum directum.

Quamdiu enim aliquis pro Domino habetur, seu quamdiu habet *utile* Dominium, omnis usus ipsius rei & jurium ei annexorum est penes utilem Dominum; solo titulo dominii remanente apud Dominum directum.

VII. Hoc fundamento rescripsit Alexander III. in *Cap. 7. De Jure Patronatus*, præsentationem Clerici vigore Juris patronatus annexi cuidam villæ competitisse militi, si consiterit, villam illam fuisse à Monasterio, cui dominium illius competebat, militi illi datam *ad firmam*; id est, ad longum tempus locatam.

VIII. Quæ elocatio naturam sapiebat cujusdam contractus enphyteuticarii, vel potius censualis, quo *utile* dominium transferitur; ut probat Le Roy ad dictum *cap. 7.* & etiam Fagnanus ad idem Capitulum *num. 12.* una observans, dationem *ad firmam* hinc necessariò sumendam pro elocatione ad longum tempus, quæ habeat naturam hujusmodi contractus.

IX. Notat ibidem ulterius Franciscus Le Roy, quod "ut plurimum monasteria vel etiam laici prædia sua dabant *ad firmam*, vel ut edulia, aliãve necessaria pro pensionibus acciperent ad victum & vestitum... Vel etiam Abbates laici prædia sua dabant *ad firmam*, ad longum tempus, ad vitam, ad centum annos, ut ita eorum favorem, gratiam, & patrociniū emendicaret.

Deinde subjungit: "Ejus rei luculentum exemplum extat apud Ingulphum in Historia Croylandensis Monasterii. Ubi cum ejus Monasterii Abbas alicujus potentioris defensionem sibi suisque Monachis demereri vellet, placuit tenementum aliquod *ad firmam* alicui dare ad terminum vitæ: Sed tandem cuidam Comiti nomine Normanno manerium aliquod datum est ad terminum centum annorum, ut illud teneat ab eo Monasterio, & per *firmam* singulis annis certa quædam grana ei solvat. Ejus Normanni frater successit in eam *firmam*, eamque alteri Monasterio donavit. In Regia descriptione bonorum istius Monasterii relatam est illud prædium, quia post elapsam *firmam* terminum ad illud redire debet, sed eo pendente est possessio firmariorum, inquit Ingulphus.

X. Plura videri possunt apud Du Cange in Glossario verbo *Firma*. Interim ex allegato exemplo patet, dationem *ad firmam* esse elocationem ad *longissimum* tempus. Ulterius, pendente *Firma*, *firmarium* de ea disponere posse, eamque inter ejus possessiones numerari; ac tandem eam ad hæredes ejus transire pro residuo tempore: Finito autem tempore ad Dominum redire. Quæ omnia satis probant, per dationem *ad firmam* transiisse *utile dominium* in *Firmarium*, directo dominio remanente penes concedentem.

Ex quo autem receptum fuit, auctoritate hujus Decretalis Alexandri III. præsentationem competere *Firmario* titulo *utilis* domini *Villa* cui Jus Patronatus est annexum, concludunt ulterius Canonistæ, maritum posse præsentare ratione Juris Patronatus fundo *dotali* annexi; uti tradit Le Roy in citatis Prologomenis *cap. 12.* Quia (ait) jure

civili maritus dicitur. *Dominus* fundi *dotalis*; & natural. dominium uxoris durante matrimonio interquiescit.

XI. Deinde postquam creditum fuit, idque auctoritate Glossæ, (uti notatum est supra *tit. 2. cap. 11.*) collationem & præsentationem Beneficiorum fructibus annuerari, conclusum fuit præsentationem ad maritum hac ratione spectare; quod ipse omnes planè fructus fundi *dotalis* percipiat. "Sicut enim (ait Le Roy) homagia & servitia uxori debita maritus recipit & præstat pro rebus *dotalibus*, quod est ex generali consuetudine Franciæ, ita & Jus Patronatus exercet.

Idipsum jam pridem tradidit Rochus De Curte De Jure Patronatus verbo *Ille vel is*, *num. 62.* illudque sat probari credit ex citato *Cap. 7.* Nam cum ibi etiam præferatur conductor locatori in præsentatione, debet (ait) etiam maritus præferri uxori à fortiori. Rationem præmiserat: Quia minus jus habet conductor ad longum tempus in rebus conductis, quam maritus in dote. Maritus enim censetur habere dominium *dotis*.

Verum quidem est, quod præsentatio non sit fructus habilis ad sustentationem onerum Matrimonii: quia (ait De Curte) sufficit quod ipsa universitas, in qua est Jus Patronatus, ad id sit habilis; & ubi universitas transferitur non consideratur ipsum Jus Patronatus, sed transit *accessorie*.

Similiter non obstat quod maritus non possit percipere fructus qui in *brevis* non renascuntur; quia, uti advertit De Curte *num. 46.* "maritus non percipiet istum fructum, præsentationis tanquam maritus, & tanquam Jus patronatus sit de rebus *dotalibus*; sed percipiet tanquam universitatis, & per quamdam consequentiam.

XII. Eadem ratione, si maritus uxori post mortem suam fundum cui est Jus patronatus annexum assignaverit in dotarium: "ea sola (ait Le Roy) jus illud post mortem mariti exercere potest; quia est fructuaria, sicque fructus omnes percipit & lucratur, ita ut interquiescat adhuc hæredum *nuda* proprietas.

XIII. Similiter post Lambertinum aliosque tradit Fagnanus loco citato *num. 7.* jus præsentandi magis pertinere ad uxorem relictam usufructuariam omnium bonorum, quam ad hæredem.

Nihilominus Rhenatus Choppinus De Domino Gallico *lib. 3. tit. 19.* Sequutus Joannem De Imola, jus præsentationis usufructuario negat, rationem hanc subnectens: "Quæcumque enim non renascuntur singulis annis, minime habentur in fructu, nec quasi fructus fundum autem." Ipse quoque Rochus De Curte loco citato, monet, casu occurrente de hac questione esse meritò cogitandum ob varias Doctorum opiniones.

XIV. Hoc certius est & communi calculo receptum, præsentationem factam à bonæ fidei possessore esse validam; imò nec præsentatum à Beneficio vi hujusmodi præsentationis obtento removendum; tamen si ex post facto constiterit, Jus Patronatus revera ad præsentantem tempore præsentationis non pertinuisse, *Cap. 19.* De *Jure Patronatus*; eo quod bonæ fidei possessor fructus consumptos faciat suos *irrevocabiliter*: præsertim si ex eis non sit factus locupletior: uti per præsentationem factus non creditur.

XV. In creditorem cui fundus pignori datus, sive hypothecatus est, jus præsentandi non transire, si nulla juris illius specialis mentio facta sit, rectè post alios Canonistas tradit Fagnanus loco citato *num. 16.* Nam in creditorem nec directum, nec utile dominium transferitur: neque etiam fructus suos facit; sed eos omnes debitori pignus luenti restituere tenetur.

Idipsum legitur in Synodo Saltzburgenſi an. 1420. *Can. 22.* "Ad omnium quoque dubitationem, sive questionis materiam amputandam, statuimus, ut, si quis prædium suum, cui jus attinet Patronatus cuiquam obligaverit in dotali, jus præsentandi apud ipsum obligantem resideat. Cum

Cum tale jus a sumari non possit &c... in sortem nequiat computari. Cum semper fructus rei pignoratæ in sortem debeant computari, juxta Canonicas & legitimas sanctiones.

XVI. Jus patronatus præsertim *laicale*, hodie ad eodè habetur & consideratur, tanquam temporale & patrimonii laicalis, ut receptum sit, quod sicut de temporalibus laici coram giudice Ecclesiastico non sunt conveniendi, ita nec de Jure Patronatus *laico* iudex Ecclesiasticus cognoscere possit; nec in possessorio, nec in petitorio, idque contra Decretalem Alexandri III. in *Cap. 3. De Judiciis*, ubi dicitur, "Causa Juris patronatus ita conjuncta est & connexa spiritibus, utalibus causis, quod non nisi Ecclesiastico iudicio valeat definiri." Vide latè Franciscum Le Roy in allegatis prologomenis *cap. 29.* ubi notat, ubique penè, ac signanter in Gallia, questionem de Jure patronatus laico non tantum in possessorio, sed etiam in petitorio coram giudice Regio tractari: quod & in Belgio observatur.

XVII. Ad hæc jus illud tanquam portionem patrimonii, aut saltem titulo patrimonii acquisitum, & quasi temporale, ut partem hereditatis ad hæredes unà cum reliqua hereditate transmitti receptum est; notatque Glossa ad *Canonem Filiis caus. 16. quest. 7.* idque indistinctè, sive sint de sanguine, sive extranei uti ex Canone CONSIDERANDUM, & *Canon* PLURES eadem quest. probat Glossa, quam uno consensu sequuntur Canonistæ, & praxis recipit.

XVIII. Si enim nihil in tabulis foundationis occurrat, quod transmissionem ipsius Juris patronatus ad certas personas ordinat, nec jus hoc alicui particulari rei adhareat, illud jure hereditario, adinstar aliorum jurium temporalium ad hæredes sive ex testamento, sive ab intestato transmittitur; uti notat Le Roy in sæpè citatis Prologomenis *cap. 19.*

Cumque jus illud natura sua sit individuum, pro conditione individuatorum transit in omnes hæredes *in solidum*; idque sive pro æquali, sive in æquali parte sint hæredes, quemadmodum Jure Civili omnes filii Patroni æqualiter succedunt libertò, tamen in æqualiter à patre instituti sint hæredes. *L. 7. §. 6. ff. De Operis Libertorum.*

XIX. Itaque hæredes omnes in *solidum* ad præsentationem concurrunt, ita tamen, ut ipsa præsentatio non dividatur; sed ut unica nomine omnium fiat: quare rectè notavit Innocentius ad *Cap. 1. De Jure Patronatus*, jus hoc quidem esse *in solidum* apud singulos hæredes, quoad honorem sive jura honorifica, sed non quoad præsentationem, quæ ita est apud omnes simul, ut apud nullum singulariter sit.

XX. Cumque hæredes in hac præsentatione repræsentent personam Patroni defuncti, non plus juris habere possunt, quam habuit defunctus; quapropter, si plures fuerint Patroni, omnes hi hæredes unum tantum suffragium, quale habuisset defunctus, in ipso actu præsentationis habebunt, *Clement. 2. De Jure Patronatus.*

XXI. Ulterius cum hic non fecus, ac in aliis juribus succedatur jure repræsentationis, sive ex persona defuncti, & meritò prævaluit sententia Innocentii IV. & Cardinalis Hostiensis successionem fieri non in *capita*, sed in *stirpes*; uti de hæredibus plurium patronorum declaravit Pontifex in citata Clementina 2. dicens "plures ab uno Patrono Ecclesiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præsentatione Rectoris." Quod clariùs postmodum expressit Synodus Salisburgensis titulo *De Jure Patronatus* his verbis: "Item si Patronus plures filios aut hæredes reliquerit, omnes illi succedant in *stirpes*."

XXII. Porro facile contingit, quod existentibus pluribus Patronis, aut Patroni unius hæredibus, diutius differatur præsentatio ob difficultatem consensus patronorum aut hæredum in eandem personam. "Ut ergo faciliùs provideatur Ecclesiis, non inconveniens (ait Pontifex in citata Clementina) reputamus, Patronos ipsos inter se

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

liberè posse convenire, de Rectore ab eis *alternis* vicibus præsentando. Quia præsentandi modus hodie vocatur *solet per turnum*.

XXIII. Hic notandum, hanc præsentandi rationem non semper eodem modo institui. Interdum enim ea lege præsentatio *alternis* vicibus, sive *per turnum* fieri debet, ut singuli in suo *turno* seorsim, nullà compatrio factâ mentione, præsentent: ita ut in tali actu præsentationis alter Patronus nullas partes habeat; ipsùmque Jus patronatus pro ea vice videatur apud solum *Turnarium* esse. Hoc casu, etiam si alius jure dignitatis Ecclesiasticæ, alius jure fundationis *laicalis* Jus patronatus habeat; tamen non erit Jus patronatus *mixtum*; sed in *turno* Ecclesiastici erit merè Ecclesiasticum; in *turno* vero laici, merè laicum.

XXIV. Si verò ita per *vices*, vel *turnum* dividatur, ut quidem *Turnarius* in suo turno personam nominet; sed tamen utriusque nomine præsentatio fiat, tunc proprie nec præsentatio, nec Jus patronatus per *turnum* vel *vices* dividitur; sed tantum conventum videtur inter Patronos, quod simul consentient in eam personam, quam alter ipsorum alternis vicibus nominabit: hicq; communi nomine præsentabitur.

Exemplum hujus referit Le Roy citato *cap. 9.* ex Guillemo Thorneo Anglo in Chronico ad an. 1229. concordia cujusdam inter Abbatem S. Augustini Cantuariensis, & certos Barones super Jure patronatus cujusdam Ecclesiæ, ita ut quotiescumque Ecclesia vacaverit, Abbas & Conventus S. Augustini, & Barones semper *simul* præsentabant ita scilicet, quod "Abbas & Conventus S. Augustini Cantuar. unà vice liberè pro voluntate sua conferent Ecclesiam præsentantem, cui voluerint, & Barones aliã vice pro voluntate sua. Præsentabant autem Abbas & Conventus per litteras facientes mentionem de jure Baronum de S. & Barones similiter de S. præsentabant per litteras facientes mentionem de jure Abbatis.

Quando hoc modo præsentant, quamvis singuli in suo *turno* dicantur habere præsentationem, revera tamen indivisum manet Jus Patronatus, & communi nomine exercetur: ideoque in exemplo allegato, & huic similibus, revera erit Jus patronatus *mixtum*; & judicari debet prout de jure mixto judicandum esse diximus *cap. 3.*

XXV. Et hæc quidem nisi per tabulas foundationis, aut locorum consuetudines circa successionem Juris patronatus aliud cautum fuerit.

Potest enim Fundator alicui de sua familia, aut etiam extraneis Jus patronatus assignare, si nolit illud jure hereditario, vel successionis deferri. Et quod uni è liberis suis Patronatus assignetur, ad evitanda dissidia non rarò convenit. Et ita S. Everardus Comes, Ludovicij Pii generi in testamento suo cavet, ut ex liberis suis *tertius* Adalardus habeat suum Jus patronatus in quadam Ecclesia. Apud Miræum in Codice piarum Donat. *cap. 12.*

Frequenter & tabulis foundationum, & locorum consuetudinibus obtinuit, ut Jus patronatus primogenito de familia deferatur; præcipue si feudo illustri jus hoc fuerit annexum: quo casu eadem penè leges, ac interpretationes sequendæ & accipiendæ in delatione hujusmodi Juris patronatus, quæ in feudis aut fideicommissis gentilitiis aut familiaribus traduntur, & à Doctoribus in materia feudorum & fideicommissorum examinantur; & huic materiam nominatim applicatas regulas in materia feudorum & fideicommissorum tradi solitas, vide apud Franciscum Le Roy in citatis Prologomenis *cap. 8. §. 19.*

XXVI. Cum laici Jus patronatus adinstar patrimonii, rerumque temporalium per successionem, venditionem, aliòque contractum, unà cum patrimonio ac rebus temporalibus transferri videbant, quin & iisdem fere legibus subiacere, illud ut rem merè temporalem habendum, atque ut talem etiam separatim vendi posse facili sibi persuadebant: eamque persuasionem seculo 12. invaluisse sat inſinuat quærela Joannis Sarisberienſis *lib. 7. cap. 17. De Nugis Curialium*, dum ait: quod Jus advocacionis aut Patronatus

lil
Eccle-